

475

473

479

469

484

464

524

424

574

374

Ende

Anfang

464

tum fuisse et ab eo nomen sortitum esse. Oppidum hoc munitionem est et in bono campestri loco situm, aquis et paludibus circumactum et vivo rivulo pervium, duas habet parochias et hospitale locuples et Augustinensium duo monasteria, fratrum et sororum, et ad murum civitatis est praepositura S. Nicolai, ordinis S. Benedicti, a quo non longe in montanis est egregium monasterium Ottenbüren, ordinis S. Benedicti, in quo grandes sunt reliquiae Sanctorum, praecipue vero in argenteo sarcophago corpus beati Alexandri martyris, qui unus fuit de VII fratribus filiis sanctae Felicitatis Romae passis. Campanae duae insignes et optimi soni sunt ibi adhuc, tertiam quandam vendiderunt, ut dicitur, Ulmensibus. Ab alia parte civitatis super littus Ilaris est monasterium Carthusiensium notabile, Buchshaim dictum, in quo degunt patres, viri doctissimi et boni. Porro homines oppidi Memmingen bona conditionis homines sunt, sinceri Christiani, divinis locis et personis bene affecti et eleemosynis largi, ad verbi divini auditionem avidissimi et bene morigerati ac honesti. Unde magister Johannes Nyder, ordinis Praedicatorum, in quodam tractatu commendat virgines illius oppidi dicens, ipsas esse propter innatam disciplinam religioni aptissimas et monasticae vitae. Sunt in isto oppido divites cives et mercatores et mechanici, et multa negotiatio, et tamen nullum sustinent in eo Judaeum, ne usurpis respublica eorum deturpetur. Die XXIX., quae est Agnetis secundae, ego et Johannes Müller sumto cibo et stratis equis a Memmingen recessimus cum festinantia per vallem Ilari descendentes. Vallis illa lata et longa est, per ejus medium Ilarus recurrit, et ad utrumque ejus latus villae et campi, prata et agri fertiles sunt, in montium vero cuminumbus castra et fortalitia multa olim fuerunt, quorum ruinae hodie patent, et usque nunc aliqua integra perseverant. Ingressi autem sumus comitatum comitum de Kirchberg, qui olim majorem partem illius vallis, montium et silvarum possederunt. In silvis supra vallem ultra Ilarum ad sinistram venientibus de Memmingen, sunt monasteria gloriosa, scilicet Rott, ordinis Praemonstratensium; Ochsenhausen, ordinis S. Benedicti; Gutenzella, monialium, ordinis Cisterciensium; et Hegbach, monialium ejusdem ordinis. Sic ergo descendendo per aulonem Ilaricum pervenimus in villam Thyssen, et ea hora densissima cecidit pluvia, ita quod madidi facti fuimus

